

bitur, sub sententiis, censuris, et pœnis inhibendi contradictores in illas incidisse, servata forma concil. Tridentini, declarandi, aggravandi, reaggravandi, et interdicens, auxiliūque brachii sæcularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, nec non alia in præmissis necessaria et opportuna faciendi, exercendi, exsequendi, plenam et liberam, apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1695, decimo septimo Kalendarum Januar., pontificatus nostri anno quinto. »

(Hæc bulla videri potest in Breviario nostro Franciscano in rubricis particularibus, num. 182 et sequent.)

(25. Insuper Paulus V, constit. incip. *Cum certas*, data Romæ apud S. Petrum die 11 Martii 1607, concessit etiam sequentes indulgentias Tertiariis directe et specificè etiam in propriis domibus viventibus.

I. Die quo recipiunt habitum, vel chordam benedictam a superiore ordinis in memoriam S. Francisci, si contriti et confessi Eucharistiam sumpserint, indulgentiam plenariam lucrantur.

II. Eodem modo in festo primario ordinis lucrantur indulgentiam plenariam.

III. In articulo mortis invocato nomine Jesu, plenariam.

IV. Qui assistunt et sequuntur processionem chordæ omni mense fieri solitam, lucrantur indulgentiam 3 annor. et totidem quadragenarum. Si autem confessi communicaverint, plenariam.

V. Qui confessi et sancta communione refecti visitaverint ecclesias Fratrum Minorum in Festis S. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Ludovici, S. Bernardini, S. Bonaventuræ, S. Claræ, lucrantur indulgentias septem annorum et totidem quadragenarum, præter indulgentias plenarias a Sixto V concessas.

VI. Qui assistunt Officio B. M. V. dum legitur in Oratorio, lucrantur indulgentias 100 dierum.

VII. Qui comitantur sanctissimum sacramentum dum portatur ad infirmos, lucrantur indulgentiam quinque annorum et totidem quadragenarum.

VIII. Qui comitantur sepulturam mortuorum, dant eleemosynam pauperi, conciliant pacem inter inimicos, toties quoties pro quolibet istorum operatione generali indulgentias 100 dierum.

IX. Conceditur quod Fratres prædicti et Sorores possint has gratias spirituales consequi, et illas applicare animabus purgatorii per modum suffragii.

Ita Kilianus, Kazenberger in Supplem. Theolog. Sacramental. Patritii, Sporer, cap. 3, quæst. 2, § 7, n. 106; Engelbertus Pauck in tertia Seraphica Vineâ cap. 25.

num. 112, citans etiam P. Angel. Lantuscam fol. 86, in idiomate Italico.

(26. Fratres et sorores Tertii Ordinis S. P. N. Francisci de Pœnitentia semel in mense lucrantur indulgentias 560 dierum, dum conveniunt ad congregationem menstruam, et ibidem audiunt legi suam regulam, vel ejusdem explicationem. Ita concessit Clemens V, 8 Maii 1305 Constit. incipien. *Cum illuminatum*, quæ hic ad litteram subnectitur.

CLEMENS EPISCOPUS, etc.

Dilectis in Christo filiis et filiabus, Fratribus et Sororibus venerabilis Tertii Ordinis de Pœnitentia salutem et apostolicam benedictionem.

Cum illuminatum sit cor nostrum et illustratum Spiritu Sancto, cum effectu devoto et pietate concedendi liberaliter et donandi cum prompta manu locis piis et devotis personis, specialiter dilectis fratribus et sororibus venerabilis Tertii Ordinis Sancti Francisci, in omni parte terrarum ubi degunt, in quali ordine certo reperiuntur multa beneficia pro salute animarum; in respectum tanti ordinis totum mundum illuminantis, ad dicti venerabilis ordinis majorem exaltationem et honorem, virtute præsentium litterarum manifestum sit omnibus fratribus et sororibus dicti ordinis, quod omni vice, quando conveniant insimul saltem quo ad majorem numerum, in uno deputato loco, et ibidem legitur dicta regula, vel de ista regula fiat memoria, vel mentio etiam peregrinis, et extraneis, qui non sunt de ista regula, considerando illorum merita: concedimus ex jugi fonte divinæ gratiæ 560 dierum indulgentiæ pro singulis, una vice in mense, quando lecta erit ista regula.

Datum Burdigalæ in Francia, die 8 mensis Maii 1305, pontificatus nostri anno secundo.

(Hoc breve videri potest apud P. Lantuscam, idiomate Italico, fol. 34, de Reg. 3 Ordinis, et apud P. Engelbertum Pauck in 3 Seraphica vinea, cap. 6, num. 71.)

(27. Tertiarii utriusque sexus intra vel extra claustra moram trahentes, qui tria vota substantialia religionis non emittunt, frui queunt indulgentiis relatis in constitutione *Dum præexcelsa*, a Leone X die 19 Junii 1515 promulgata per eundem pontificem in brevi *Dudum*, die 10 Decembris 1519 ad eosdem extensis, idemque dicendum de aliis similibus, ex decreto præmemoratae congregationis reliquiis et indulgentiis præpositæ, quo declaravit personas substantialia religionis vota non emittentes sive intra sive extra claustra degentes, minime comprehendi in revocatione generali indulgentiarum a Paulo V die 23 Maii 1606, in brevi *Romanus Pontifex*, præscripta. Quam declarationem per breve *Alias* incipiens, apostolico robore munivit san. mem. Innoc. XI, die 20 Oct. 1686. Ita habetur in Rubricis particularibus nostri novissimi Breviarii Franciscani, num. 173. (28. Tertiarii nostri etiam in sæculo degentes et nostræ directioni subjecti possunt uti nostro Franciscano

Breviario. Id enim præscribunt rubricæ particulares nostri novissimi Franciscani Breviarii sub. n. 1, 2, 4, 21 et 22. Vide verb. *Officium Divinum*, art. 3, n. 17 et seq.

(29. Chordigeri eximiis indulgentiis fruuntur, prout apparet in constitutione Sixti V incip. *Divinæ Charitatis*, et in constitut. Pauli V incip. *Nuper archiconfraternitatis Chordigerorum*, quæ habetur ad litteram verb. *Confraternitas*, artic. 1, num. 20 et 21. (30. Præterea Chordigeri ex concessione Gregorii XV, in brevi incip. *Pias Christi*, 10 Nov. 1622, lucrari possunt etiam illas indulgentias quas Paulus V concessit omnibus regularibus, 23 Maii 1606, constit. incip. *Romanus Pontifex*, adducta supra artic. 4, n. 7. (31. Insuper Chordigeri lucrari possunt omnes indulgentias Fratribus Minoribus directe et in specie concessas et non revocatas (non item alias eis per extensionem vel communicationem quomodovis competentes). Ita Clemens VIII constitut. incip. *Quicumque a Sede*, 1604, 7 Decembris, teste Lantusca in Theatro Regul. verb. *Confraternitas* num. 4 et 5. (32. Unde Chordigeri lucrari possunt indulgentias Stationis sanctissimi Sacramenti, indulgentias Coronæ B. Mariæ Virginis, indulgentias Coronæ Domini Nostri Jesu Christi, indulgentias Orationis mentalis, indulgentias Doctrinæ Christianæ. Ita Engelbertus Pauck in tertia Seraphica Vineâ cap. 21, num. 93; Kazenberger loc. cit. num. 113, et alii passim. (33. Ulterius Chordigeri gaudent in articulo mortis privilegio absolutionis generalis, ex concessione Clementis VIII constitut. incip. *Quæcumque a Sede*, Pauli V constitut. incip. *Cum certas*, et Gregorii XV constitut. incip. *Injuncti nobis*; item *communicatione meritorum nostri ordinis*; Kazenberger loc. cit., numer. 113, et alii communiter.

(34. Hinc quantum ad indulgentias confratrum chordæ S. P. N. Francisci, et Fratrum Tertii Ordinis de Pœnitentia edita fuit ab Innoc. XI, 15 Maii 1688, sequens constitutio.

INNOCENTIUS PAPA XI.

« Venerabilis Frater et Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

« Exponi nobis nuper fecit dilectus filius frater Franciscus Diaz a S. Bonaventura, in Romana curia pro Familia Ultramontana, obedientiæ seu directioni ministri generalis totius ordinis FF. Min. subjecta, commissarius generalis, quod alias ad favorem dilectorum filiorum utriusque sexus confratrum Chordæ S. Francisci et Fratrum Tertii Ordinis de Pœnitentia emanarunt a diversis Pontificibus prædecessoribus nostris litteræ in forma brevis expeditæ: Primo a fel. rec. Paulo Papa V, sub die 25 Septembris 1607, incipientes verbo *Nuper*, etc.; secundo, a piæ mem. Gregorio XV, 26 Junii 1622, incip. verbo *Alias*, etc., et continentes tenorem aliarum bon. mem. Sixti V, etiam prædecessoris nostri; tertio, ab eodem Papa Gregorio XV, 10 Novem. 1622, incipientes: *Pias Christi*, etc.; quarto a piæ mem. Alexandro Papa VII, pariter prædecessore

nostro, 28 Junii, ac postmodum 5 Septembris 1666, quibus inter alia communicantur inter ipsos sexus utriusque tertiarii et confratres, seu cum ipsis tertiariis, confratribus religiosi diversorum ordinum, et conceduntur seu confirmantur diversa privilegia, statuta, concessiones, et indulgentiæ, illæ præcipue pro recitatione coronæ B. Mariæ Virginis a dicto Paulo V, 8 Junii 1608. Et pro statione sanctissimi Sacramenti, et exercitio Viæ Crucis, etiam a nobis, præviis supradictis litteris, sub dictis diebus 28 Junii et 5 Septembris impertitæ, et innovatæ, imo etiam decreta (a congregatione indulgentiis et reliquiis præposita) sub diebus 14 Januarii et 13 Julii 1681 formata. Et licet a nemine litterarum, privilegiorum, statutorum, concessionum hujusmodi, et indulgentiarum executio impediri valeat (etiam non obstantibus quibuscunque conditionibus vel oblocutionibus superiorum quorumvis ordinum, maxime in Angolopolitana et Mexicana diocesisibus) nihilominus idem exponens pro interesse et indemnitate dicti ordinis Minor., ejus directioni præfati fratres et tertiarii sunt subjecti, et ad quem vigore præfatæ nostræ confirmationis directe concessiones extenduntur, ne litteræ, privilegia, statuta, concessiones, et indulgentiæ præfatæ debito frustrentur effectu, nobis humiliter supplicari fecit ut ei in præmissis opportune de benignitate apostolica dignaremur providere. Nos igitur statum et merita causæ, et causarum, litterarum, privilegiorum, statutorum, concessionum, et indulgentiarum hujusmodi tenores; præsentibus pro expressis habentes, ipsumque exponentem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, pœnis (a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis), si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestræ, attento, quod sicut dictus exponens asserit, agitur inter exemptos, per præsentem committimus et mandamus quatenus vos, vel duo, vel unus vestrum, vocatis ad id qui fuerint evocandi ad dictarum litterarum, privilegiorum, statutorum, concessionum, et indulgentiarum hujusmodi executionem, juxta illarum seu illorum seriem, et tenorem, prout de jure, auctoritate nostra procedatis. Nos enim vobis et cuilibet vestrum, quoties et quot fuerit opus, citandi, illisque et quibus videbitur, sub sententiis, censuris, et pœnis inhibendi, ac inobedientes in illas incidisse, servata forma conc. Trid., declarandi, aggravandi, reaggravandi, et interdicens, cæteraque in præmissis necessaria, et opportuna faciendi, exercendi, et exsequendi apostolica auctoritate, plenam et liberam (tenore præsentium) concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem,

sub annulo Piscatoris 15 Maii 1688, Pontificatus nostri anno decimo tertio. »

Superscriptio erat

Ven. F. Episc. Angelopolitano, et Dilectis Filiis, Nostro et Sedis Apost. Nuncio in regnis Hispaniarum residenti, et Scholastico Ecclesiae Salmant., et eorum cuilibet.

(Hæc bulla videri potest apud P. Engelbert. Pauck in 3 Seraphica Vineæ c. 19, n. 80, et apud Kazenberger in Append. Alphabetica verb. Indulgentiæ Confratrum Chordæ S. Francisci et Fratrum Tertii Ordinis de Pœnit.)

Hic tamen opportune notandum occurrit, quod novissime Benedictus XIV, Constit. 41, tom. III Bullar., incip. *Ad Roman. Pontificem*, Indulgentias concessas fratribus et sororibus Tertii Ordinis sæcularis de Pœnitentia Sancti Francisci, sive collegialiter viventibus, sive in domibus privatis, reformavit, et cæteris omnibus revocatis alias de novo concessit, quas sigillatim ibidem enumerat. Sunt autem ejusmodi :

Indulgentia plenaria confessis et sacra Eucharistia refectis ea die qua in ordinem ingrediuntur.

Item plenaria confessis et communione refectis die festo S. Francisci 4 Octob., S. Claræ, sancti titularis ecclesiae, oratorii, vel capellæ ejusdem Tertii Ordinis, die Dedicatæ S. Mariæ Angelorum de Portiuncula, dummodo ecclesiam ipsam visitaverint, et de more oraverint.

Indulgentia plenaria in articulo mortis constitutis, confessis et communione refectis et ore, vel, si non poterint ore, saltem corde nomen Jesu invocantibus.

Visitantibus ecclesiam Tertii Ordinis, seu oratorium, sive capellam, diebus stationum in Missali Romano descriptis, ibique orantibus, de more, indulgentiæ illæ conceduntur quas prædictis diebus visitantes ecclesias Urbis, et extra eam, consequuntur.

Confessis et sacra communione refectis in festo Stigmatum S. Francisci, S. Ludovici Galliarum regis, S. Elisabeth reginæ Portugalliæ, itemque S. Elisabeth Hungariæ reginæ, S. Margaritæ de Cortona, atque in duodecim aliis anni feriatis, vel Dominicis diebus ad libitum eligendis, et a superioribus ordinis approbandis, et visitantibus ac orantibus, ut supra, qualibet earum dierum, septem annorum, et totidem quadragenarum indulgentiæ.

Item centum dies indulgentiarum lucrantur toties quoties interfuerint Missis, aut divinis officiis in ecclesia, ut supra, celebrandis, seu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Tertii Ordinis ubivis faciendis; cum pauperes hospitio susceperint, pacem composuerint vel provocaverint, corpora defunctorum quorumcunque ad sepulturam associaverint, aut processiones de licentia ordinari faciendas, SS. Eucharistiæ sacramentum tam in processionebus quam cum ad infirmos defertur, vel

saltem, si sint impediti, ad signum campanæ orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, sive pro Ecclesiæ necessitatibus, sive pro defunctis fratribus et sororibus recitaverint.

Item si peccantem ad pœnitentiam redegerint; doctrinam Christianam rudes docuerint; tandem quoties opus aliud pietatis vel charitatis exercuerint.

Ad rem liceat adhuc adnotare sequentia. Indulgentiæ pro fratribus Tertii Ordinis S. Francisci de Paula conceduntur a Pontifice ad instar fere indulgentiarum pro illis qui Tertium Ordinem S. Francisci de Assisio profitentur, excepto quod indulgentiam plenariam consequuntur in festo S. Francisci de Paula, S. Francisci Salesii, Dedicatæ sancti Michaelis Archangeli, et in festo Omnium Sanctorum, si visitaverint ecclesiam aliquam ordinis si ibi sit, et in defectu unam aliquam civitatis vel loci ubi degunt. Cæteræ indulgentiæ eadem omnino sunt ac superiores pro Tertiariis S. Francisci Assisiensis. Quoad Chordigeros S. Francisci de Paula cingulum tantummodo benedictum ab aliquo fratre ejus ordinis vel ab alio deputato a superioribus ejusdem ordinis deferentes, die qua cingulum assumunt, confessi et sacra communione refecti plenariam indulgentiam consequuntur, sicut et plenariam in festo S. Francisci de Paula, visitantes, ut supra; ac denique plenariam in articulo mortis eo modo quo tertiarii S. Francisci Assisiensis. Quotidianam etiam indulgentiam centum dierum consequuntur, si in honorem D. N. J. Christi et SS. Apostolorum preces effuderint. Denique Chordigeri illi, sicut et Tertiarii, pro quolibet bono opere sexaginta dierum indulgentiam consequuntur, in quo differunt a Tertiariis S. Francisci Assisiensis, qui centum dies lucrantur. Easdem omnes indulgentias applicare pro defunctis possunt. Ita ex bulla pro indulgentiis Tertiariorum Sancti Francisci de Paula, incipit *Inexhausti* Bullar. tom. III, num. 56.

(35. Benefactores nostri Seraphici ordinis maximas Indulgentias consequuntur. Clemens enim VII, in primis in constitut. incip. *Dum consideramus*, 16 Aprilis 1526, apud Kazenberger in supplemento Theolog. Sacrament. Patritii; Sporer cap. 2, quæst. 2, § 8, numer. 107; apud Matthæucci, in Officiali Curiae Regularis, cap. 31, reperienda, sic loquitur: « Dum consideramus assiduos labores et vigiliis quas dilecti filii syndici et procuratores domorum et monasteriorum Fratrum Minorum S. Francisci Regularis Observantiæ, et monialium S. Claræ, Conceptionis, Annuntiationis ordinum, et Sororum tertiæ regulæ S. Francisci sustinere non cessant, merito nos obligant ut animarum suarum saluti consulamus, idcirco uni syndico et procuratoribus hujusmodi, cum illius uxore, et liberis, præsentem, et futuro, singulæ domui et monasterio prædictis pro tempore servientibus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ipsi et eorum quilibet, omnibus et singulis indulgentiis, et peccatorum remissionibus, favoribus, et gra-

tiis, quibus fratres ordinis observantiæ prædictorum utantur, potiuntur, et gaudent, seu uti, potiri, et gaudere poterunt, quomodolibet in futurum uti, potiri et gaudere possint et valeant, auctoritate apostolica concedimus et indulgemus.

(36. Alexander VI concessit ut medici ordinarii Fratrum Minorum et Sororum S. Claræ habeant eadem privilegia et gratias quibus gaudent syndici et procuratores prædictorum fratrum. Martinus IV concessit tam procuratoribus quam advocatis qui in curiis ecclesiasticis et civilibus seu sæcularibus laboraverint pro defensione ordinis Fratrum Minorum ecclesiarumque ejusdem ordinis, singulis annis indulgentiam centum dierum. Idem Martinus IV concessit cunctis fidelibus qui manus adjutrices porrexerint ad construendas ecclesias vel monasteria ordinis Fratrum Minorum, ac omnibus qui sepulturam elegerint in cæmeteriis ac claustris prælatorum fratrum, indulgentiam quadraginta annorum. Nicolaus IV concessit omnibus porrigentibus manus adjutrices pro fabricis monasteriorum Fratrum Minorum 40 annos indulgentiæ, Innocentius IV 40 dies; Nicolaus IV totidem; Clemens IV centum dies, et sunt in summa 180 dies. Alexander IV concessit omnibus recipientibus Fratres Minores viatores in domibus suis, et ministrantibus eis alimenta, et solventibus nautica seu passalia, ac alia pietatis obsequia dictis fratribus exhibentibus indulgentiam 40 annorum. Innocentius VIII concessit ut procuratores Fratrum Minorum, eorumque substituti, liberi, parentes, fratres, sorores, et uxores, possint promereri indulgentias Stationum et alias Fratribus concessas, dicendo in ecclesiis Fratrum prædictorum quinque *Pater noster* et totidem *Ave Maria* pro felici statu Romanæ Ecclesiae. Julius II concessit seu declaravit quod verba in privilegiis Fratrum Minorum contenta, scilicet quod visitantes suas ecclesias et manus porrigentes adjutrices consequantur indulgentias tales, vel tales referantur etiam ad facientes elemosynas de pane, ac aliis pro earum victu et vestitu, domorum suarum reparatione, necessariis.

(37. Porrigentibus manus adjutrices ad fabricam ecclesiarum Fratrum Minorum juxta possibilitatem suam concessa est in articulo mortis remissio omnium peccatorum. Item concessi sunt centum viginti anni pro quolibet re quolibetque beneficio quæ locis vel monasteriis Fratrum Minorum largiuntur. Ultra hoc propter communicationem privilegiorum Fratrum Prædicatorum sunt concessi amplius 79 anni et in summa sunt ducenti anni uno minus. Ita apud Casarubios in Compendio nostrorum privilegiorum, aliorumque Mendicantium, verb. *Indulgentia quoad sæculares*, § 4. Insuper consequuntur propter communicationem privilegiorum omnes alias indulgentias concessas benefactoribus quorumcunque aliorum regularium.

(38. Clemens IV concessit morientibus cum habitu Fratrum Minorum, et qui cum eo elegerint sepeliri, remissionem tertiæ

partis omnium suorum peccatorum. Id. concessit Nicolaus III; idem Urbanus V. Alexander VI extendit eandem indulgentiam ad mulieres suscipientes ante mortem vel post mortem habitum S. Claræ. Leo autem X confirmavit et de novo concessit easdem indulgentias, et insuper concessit indulgentiam plenariam omnibus morientibus et sepeliri eligentibus in dicto habitu et in habitu sororum tertiæ regulæ S. P. N. Francisci sub obedientia ejusdem Ordinis degentium, et declaravit sufficere habitum prædictum petere ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiamsi ante mortem non induatur. Ita apud Casarubios loc. cit. § 6; Kazenberger, loc. cit., num. 109. (39. Ad lucrandas tamen has indulgentias necesse est recipere talem habitum a guardianis seu aliis prælati superioribus, vel ab aliis ad id destinatis. Sixtus IV constit. incip. *Sacri*. Unde prædictum habitum dare non potest subditus, neque confessarius monialium neque quivis alius, nisi id sibi a prælato fuerit concessum: Kerckove in Statuta generalia nostra, cap. 4, § 3, num. 5 et seq.; Kazenb. loc. cit., n. 109. (40. Petentes autem et suscipientes dictum nostrum habitum possunt quidem dare nobis elemosynam pro ipso habitu religioso, non tamen pro ipsa indulgentia consequenda, quia hæc esset revocata per S. Pium V, qui in constit. incip. *Etsi Dominici*, sexto Kalendas Februarii 1567, revocavit omnes indulgentias, ratione quarum datur aliqua elemosyna. Kazenb. l. c.; Kerckove, l. c.; Rodriguez art. 10, t. II, qq. Regul. q. 76; Lantusca Theatr. Regular. verb. *Habitus*, num. 5, et alii passim.

(41. Habitum Fratrum Minorum sicut et aliorum Mendicantium osculantes lucrantur quinque annos et totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis ex concessione Joannis XXIII, facta ordini Prædicatorum, et consequenter omnibus aliis Mendicantibus ratione communicationis privilegiorum: Casarubios, l. cit. § 6, n. 9; Kerckove, loc. cit., num. 8; Kazenberger, l. c. n. 109; Lantusca, l. c., n. 10; Rodriguez, loc. cit., qu. 77, art. 11; Portel, verb. *Habitus in additione*, n. 4, et alii communiter. Vide tamen infer. n. 48.

(42. Quam indulgentiam lucrari possunt iidemmet regulares, quia conceditur omnibus Christifidelibus habitum osculantibus, inter quos non debent esse deterioris conditionis ipsi Regulares: *Communis*. (43. Urbanus VIII concessit ut generales et provinciales totius ordinis Minorum possint communicare suffragia, indulgentias, orationes, et dona spiritualia benefactoribus ordinis: Casarubios, loc. cit., § 4, num. 6, et communis aliorum; et sic tenet praxis quotidiana.

(44. Omnes nostræ ecclesiae ac monialium nostri instituti gaudent indulgentiis plenariis perpetuis concessis pro omnibus Christifidelibus incipientibus a primis vespere usque ad occasum solis, festis diebus sequentibus, scilicet:

Die 16 Januar., pro festo SS. Berardi et soc.

Protom. ord. Min., ex concessione Bened. XIV 18 Oct. 1741.

Die 5 Feb., pro festo SS. Baptistæ et socior. martyr., ex concessione Clementis XII 13 Julii 1739.

Die 22 Feb., pro festo S. Margaritæ de Cortona, concessa a Benedicto XIII 26 Jul. 1728.

Die 9 Martii, pro festo S. Catharinæ virginis de Bononia, concessa a Clemente XI die 21 Mart. 1714.

Die 13 Maii, pro festo S. Petri Regalati, concessa a Bened. XIV 23 Aug. 1746.

Die 17 Maii, pro festo S. Paschalis Baylon, concessa ab Alexandro VIII 7 Sept. 1690.

Die 20 Maii, pro festo S. Bernardini Senensis, concessa a Sixto V 28 Sept. 1585.

Die 13 Jun., pro festo S. Antonii de Padua, concessa a Sixto V 28 Sept. 1585.

Die 19 Jun., pro festo S. Michaelinæ 3 ordin., ex concessione Clementis XII 27 Sept. 1737.

Die 9 Jul., pro festo BB. Nicolai et soc. mart., ex concessione Benedicti XIII 6 Dec. 1728.

Die 14 Jul., pro festo S. Bonaventuræ, concessa a Sixto V 28 Sept. 1585.

Die 24 Julii, pro festo S. Francisci Solani, concessa a Benedicto XIII 14 Aug. 1727.

Die 2 Aug., pro festo Portiunculæ, concessa immediate a Christo Domino, ut declaravit Benedictus XII, apud Casarubios l. cit., verb. *Indulgentia quoad Sæculares*, § 1, n. 13; de qua plura infra.

Die 12 Aug., pro festo S. Claræ virginis, concessa a Sixto V 27 Sept. 1585.

Die 19 Aug., pro festo S. Ludovici episcopi Tolosani, concessa a Sixto V 28 Sept. 1585.

Die 25 Aug., pro festo S. Ludovici regis, ex novissima concessione Benedicti XIV 17 Maii 1755. Vide infra n. 80.

Die 4 Sept., pro festo Translationis S. Rosæ Viterbiensis virginis, concessa a Clemente XI 14 Jan. 1701.

Die 17 Sept., pro festo sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci, ex concessione Clementis XII 30 Aug. 1731.

Die 4 Oct., pro festo S. P. N. Francisci, concessa a Sixto V 28 Sept. 1585.

Die 13 Octob., pro festo SS. Danielis et soc. martyrum, ex concessione Clementis XII 13 Jun. 1739.

Die 19 Oct., pro festo S. Petri de Alcantara, concessa a Clemente IX 2 Oct. 1669.

Die 23 Oct., pro festo S. Joannis a Capistrano, concessa ab Alexandro VIII 5 Dec. 1690.

Die 12 Nov., pro festo S. Didaci confessoris, concessa a Clemente VIII 26 Mart. 1598.

Die 19 Nov., pro festo S. Elisabethæ reginæ Hungariæ, ex novissima concessione Benedicti XIV 17 Maii 1755.

Die 27 Nov., pro festo Omnium Sanctorum ordinis, ex novissima concessione Clementis XIII an. 1765. Vide infra n. 81.

Die 28 Nov., pro festo S. Jacobi de Marchia, concessa a Benedicto XIII 14 Aug. 1727.

Die 8 Dec., pro festo Immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis Mariæ, concessa a Benedicto XIII 12 Dec. 1729.

Pro festo B. Ludovicæ de Albertonibus, 31 Januarii, gaudent nostræ ecclesiæ indulgentia plenaria concessa ad annos 14 a Clemente XI, 22 Dec. 1714, et solet renovari et reconcedi post ipsos elapsos ad alios 14 annos, ut novissime fuit renovata et reconcessa ad alios 14 annos a Benedicto XIV 27 Nov. 1744.

(45. Omnes fideles assistentes divinis officiis in nostris et aliis ecclesiis in festo et octava Corporis Christi lucrantur sequentes indulgentias: scilicet pro missa 400 dies, pro matut. 400 dies, pro qualibet vesp. 400 dies, pro qualibet hora parva 160 dies; et in quibuslibet infra octavam diebus pro singulis matutinalium, missarum, et vesp., 200 dies, ac pro reliquis horis 80 dies. Item sequentibus processiones, et missas devote celebrantibus, tam in festo quam in aliis octavæ diebus, pro pace ac tranquillitate Ecclesiæ ac Sacramentum in festo hujusmodi sumentibus, conceduntur ducenti dies indulgentiæ. Sic ex concessione Urbani IV, Martini V, Eugenii IV, aliorumque Pontificum, refert Casarubios in Compendio privilegiorum, verb. *Indulgentiæ quoad Sæculares*, § septim. n. 2, ut videri potest quoad hoc bulla Eugenii IV. incip. *Excellentissimum*, bulla Urbani IV incip. *Transiturus*, bulla Martini V incip. *Ineffabile Sacramentum*.

Sixtus IV, const. incip. *Cum præexcelsa*, supradictas indulgentias concessas pro festo Corporis Christi concessit etiam pro festo et Octava Immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis Mariæ in nostris ecclesiis. Ita Rubricæ particulares nostri Breviarii Franciscani, n. 21.

Clemens VIII, const. incip. *Sacratissimi Nominis*, easdem indulgentias concessit pro festo dulcissimi et sacratissimi Nominis Jesu, dummodo assistentes divinis officiis dicant 3 *Pater* et *Ave* pro felici statu Romani Pontificis et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, adversus Mahumeticam et Lutheranam perfidiam, ac universali principum et aliorum fidelium pace. Ita Rubricæ citatæ num. 53.

Bonifacius IX, 1390, pro festo Visitationis beatissimæ Virginis Mariæ concessit easdem indulgentias quæ sunt concessæ pro festo sanctissimi Corporis Christi Domini Nostri.

Callistus III, 1457, pro festo Transfigurationis D. N. J. C. concessit assistentibus divinis officiis in nostris ecclesiis easdem indulgentias quæ sunt concessæ pro festo Sanctissimi Corporis Christi. Ita apud Kazenberg. loc. cit., cap. 3, q. 2, § 3, num. 94.

Alexander IV concessit visitantibus ecclesias Fratrum Minorum causa devotionis qualibet hora diei 40 dies. Innocentius IV concessit similiter 40 dies; Clemens IV concessit centum dies; Nicolaus III centum dies; Urbanus V centum dies; Nicolaus IV concessit indulgentiam unius anni et quadraginta dierum; Alexander IV concessit omnibus venientibus ad horas canonicas in ecclesiis Fratrum Minorum infra annum

singulis diebus, vel ad audiendam missam vel concionem, indulgentiam 100 dierum pro qualibet vice.

(46. Alexander IV, Nicolaus III, Innocentius IV, et Benedictus XI, concesserunt a feria 1 Cinerum usque ad Pascha Resurrectionis inclusive visitantibus ecclesias Fratrum Minorum semel in die causa devotionis de indulgentia annos universim 122 et dies 576; visitantibus autem quando prædicatur feria 2, 4, et 6, additur indulgentia annorum 6 et dierum 26. Urbanus vero IV concessit omnibus visitantibus ecclesias Fratrum Minorum in Quadragesima indulgentiam 40 annorum. Ita ex Casarubio, Kazenberg, loco citato, num. 95.

Visitantes ecclesias Fratrum Minorum in festivitibus Domini Nostri, et Dominiæ Nostræ, B. Joannis Baptistæ, Apostolorum, B. Francisci, Omniumque Sanctorum dicti ordinis, ex concessione diversorum Summorum Pontificum lucrantur pro qualibet prædictarum festivitatum indulgentiam mille tercentorum quadraginta annorum quadringentarumque quadraginta et sex quadragenarum, atque triginta et unius diei, ut summarie notat Casarubios in Compendio Privilegiorum, verb. *Indulgentiæ quoad Sæculares* § 1, n. 19, lit. C, ubi addit quod in alia summa extracta ex libro intitulo *Firamenta trium Ordinum* habetur subsequenti modo: « Summa indulgentiarum festivitatum Domini Nostri Jesu Christi ejusque sanctissimæ Matris, ac etiam S. P. N. Francisci, et Sanctorum ordinis, ascendit ad annos quingentos quadraginta et octo, et dies ducentos sexaginta. »

(47. Sæculares facientes celebrari missas et alia divina officia in ecclesiis Fratrum Minorum lucrantur mille dies indulgentiarum. Ita Emmanuel Rodriguez q. 95; apud Sanig. de Sacramentis, dist. 13, q. 3, n. 8; Kazenberg. l. cit., n. 108. (48. Audientes concionem Fratrum Minorum aliorumque regularium privilegiorum lucrantur indulgentiam quindecim annorum, ex concessione Gregorii IX, apud Kazenberg loc. cit., num. 95. Et si talem concionem in ecclesiis regularium audiant feria 2, 4 et 6, Quadragesimæ, lucrantur indulgentiam centum triginta octo annorum, ex concessione Alexandri, et Nicolai III, Innocentii, et Alexandri IV, et Benedicti XI, apud Vivam in Appendice Indulgentiarum, § ultim. De indulgentiis concessis osculantibus habitum regularium (*Vide sup.* n. 41) et eorundem regularium concionem audientibus dubitare non leviter videtur P. Minderer part. 1, Confer. 3, Collig. 4, n. 351, et part. II, Confer. 8, Collig. 15, num. 501. Tales concionatores regulares, ut ex Casarub. Miranda et Diana tradit Gobat, tr. 4. de Indulgent., c. 28, num. 561, etiam quando concionantur extra templum sui ordinis, possunt pro singulis concionibus impertiri suis auditoribus indulgentias 18 annorum et 222 dierum, dummodo expresse addant se id facere nomine Pontificis.

(49. Indulgentia Portiunculæ Assisiensis

est immediate a Christo Domino concessa. Ita Benedictus XII, apud Casarubios verb. *Indulgentiæ quoad Sæculares*, § 1, num. 13; Gobat, part. II de Indulg., cap. 9; March. in Portiuncula theologica, et historica; Matthæucci Officialis Curia, cap. 26, n. 5; Kazenberg loc. cit., n. 97, et alii passim (50. Per hanc indulgentiam *Portiunculæ*, ut pulchre docet undequaque sapientissimus cardin. Bellarminus lib. II de Indulgent., c. 20, et ex ipso Kazenberg loc. cit., n. 98, tria fidei et Ecclesiæ Catholicæ dogmata confirmantur: primum scilicet *de Indulgentiarum existentia*: secundum *de Romani Pontificis auctoritate*, quia Christus Dominus præcepit S. P. N. Francisco ut ejus vicarium adiret, et ab eo suo nomine hanc indulgentiam postularet; et Tertium *de confessionis auricularis necessitate*, quia ad eam lucrandam requiritur confessio peccatorum sacerdoti facta, quod totum patet ex Breviario Franciscano, lection. 5, ad diem 2 Augusti, ubi igitur: Quod, cum quadam nocte Seraphicus P. N. Franciscus oraret in habitaculo suo dictæ ecclesiæ Portiunculæ proximo, et ei significatum esset divinitus in ipsa ecclesia esse Dominum Jesum ejusque sanctissimam Matrem cum ingenti multitudine angelorum, et statim summa cum religione delubrum ingressus cum primum ineffabilem illam Filii Dei majestatem et gloriam aspexisset, ante conspectum ejus procubisset, eumque maxima qua potuit animi submissione ac pietate adorasset, sicut sequitur est ei Christus locutus, ibi: « Quem Dominus benignissime appellans admonuit ut ab eo aliquod beneficium pro salute hominum peteret. At ille adjutus patrocinio Matris, cujus opem imploraverat, suppliciter petiit ut omnibus ecclesiam illam introeuntibus concederet veniam et indulgentiam omnium peccatorum suorum, quorum confessionem sacerdoti fecissent. Respondit Dominus id sibi placere, præcepitque illi ut ejus vicarium adiret et ab eo suo nomine illam indulgentiam postularet. »

(51. Indulgentia plenaria concessa primitus pro ipsa sola ecclesia Portiunculæ a primis vesp. Kalendarum Augusti usque ad vesp. sequentis diei, extenditur in perpetuum ad omnes ecclesias ordinis ubique existentes, pro secunda die Augusti a primis vesp. usque ad occasum solis diei hujusmodi, dummodo lucraturi fuerint confessi et sacra communione refecti, ut apparet in sequenti bulla Gregorii XV.

GREGORIUS PAPA XV, ETC.

« Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de elementi ejus majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias ordinis Fratrum Sancti Francisci de Observantia, etiam Reformatorum, ubique existentes aliquo spiritali munere illustrare, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri